# Augustus Tertius Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Pr[ussiæ] Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæque Nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ et Princeps Elector.

R. 2

Significamus præsentibus Literis Nostris quorum interest Universis et Singulis. Consensisse Nos et permisisse, consentireque et permittere præsentibus Literis Nostris Generoso Antonio de Głogowa Kossowski Thesaurario Curiæ Regni, ut possit et valeat de omni, et integro Jure Suo quod Ipsi Super Capitaneatum Siradiensem in eodem Palatinatu Situm servit, et Competit, cedere, illudquè in Personam Generosi Rochi de Głogowa Kossowski plenariè transferre et transfundere, quæ quidem Cessio Jurisquè Transfusio, postquam coram Actis Authenticis Regni facta et recognita fuerit, Nos eam ratam et gratam habituri Sumus, uti eam, quæ prævio Consensu Nostrô peragetur. Vigore Cujus Cessionis in virtute præsentis Consensus Nostri factæ memoratus Gnosus Rochus de Głogowa Kossowski præfatum Capitaneatum Siradiensem cum omni Jurisdictione Castrensi; tum Villis Trzebiczna, Czechy et Polkow, nec non Sylva Chaielna alijsquè Bonis quocunque Nomine vocitatis, prædijs, Curijs, ædificijs, Structuris, molendinis, Tabernis, Agris, Pratis, Campis, Sylvis, Nemoribus, lacubus, Stagnis, Piscinis, fluvijs, fluminibus, Subditis, eorumquè operis et præstationibus, redditibus, proventibus, censibus Commodis, et emolumentis, attinentijs et pertinentijs generaliter omnibus, nullis penitus exceptis tenebit habebit et possidebit ad extrema vitæ Suæ tempora. Promittimus autem pro Nobis et Serenissimis Successoribus Nostris non esse Nos nequè Serenissimos Successores Nostros memoratum Gnosum Rochum de Głogowa Kossowski ab usu et pacifica Possessione dicti Capitaneatûs Siradiensis, tum Villarum Trzebiczna, Czechy et Polkow, nec non Sylvæ Chaielna, omniumquè aliorum Bonorum eò pertinentium amoturos vel alienaturos, nequè amovendi aut alienandi potestatem Cuipiam daturos, sed Salvum et integrum Jus Advitalitium Eidem conservaturos, quod et Serenissimi Successores Nostri præstabunt. Ratione cujus advitalitatis Solitam Proventuum quartam quotannis Statô tempore ad Thesaurum Regni memoratus Gnosus Rochus de Głogowa Kossowski inferre, Subditos Nostros insolitis oneribus non aggravare, Serta tecta conservare tenebitur. Juribus Nostris Regalibus, Reipublicæ, Ecclesiæque Romano Catholicæ Salvis. In quorum fidem præsentes Manu nostra Subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ Die XIV. Mensis Xbris Anno Domini MDCCXLVIII. Regni vero Nostri XVI. Annô.

Augustus Rex





Consensus Generoso Antonio de Głogowa Kossowski Thesaurario Curiæ Regni ad cedendum de Capitaneatu Siradiensi cum Jurisdictione in Personam Generosi Rochi de Głogowa Kossowski Filij Sui.

Ignatius Ludovicus Howiały S. R. M. tis Secretarius

N. 40.

Cancellariatu

Illustrissimi et Excellmi Domini
Joannis Comitis in Konskie et Bialaczow a Malachowice Malachowski
Supmi Regni Cancellarij Opocnen
Strotecen etc Capitaney

Sigillatum

Privilegium

Praesens Consensus est inductum Grene Capi
jurisdicti Feria Tertia ante Festum
Sancte Catharinae Virginis et Mar
tyris pxa Anno Dni 1 7 5 1
[illegible]
[illegible]
inductum et ingrossatum

Przyswinski
R. J. Cap.